



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Iesus illuditur facie velatus Art. & Hom. XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

oculto prauis insitunt operibus, cuiusmodi sunt hypocrita: hi blandiuntur Christo in faciem, à tergo cadunt.

## IESVS ILLVDITVR FACIE VELATVS.

Articulus XXIV.

**V**elauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Matth. 26.  
Marc. 14.  
Luce 22.

## HOMILIA XXIV.

**P**rimò hic vide cæcitatē Iudæorum, quod Christi faciem velant quam patres eorum tantoperè videre optauerant. Quomodo patres in limbo, quibusve desiderijs hanc optarunt videre faciem, clamētes? *Ostende nobis Domine faciem tuam.* Item, *Veni & ostende nobis faciem tuam, qui sedes super Cherubin, &c. appare.* Ecce venit, ecce ostendit faciem suam Iudæis, & sceleratissimi illi eius faciem velauerunt, non vt ille eorum non videret scelera, sed quia ipsi cæcidentes, nec in Moyli poterant faciem intendere, quanto minus in Christum? Immunditia enim eorum, auaritia, ambitio, & inuidia eos excæcabant, quare dulcissimæ faciei gratiam neq; optabant, neque sentire poterant. Quomodo enim optarent, quod non oblectabat eos, sed vnde torquebantur. Itaq; cum esset velatus Dominus Iesus, alij in collum, alij in genas, alij in caput Christi percutiunt, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Prophetæ, inquit, magis es tu, & cordium tibi secreta patent. Dic quis te percusserit, cum omnes percussissent. Hoc modo ludibria in Christum per totam exercent noctem. Verum tu Christi hic miram patientiam considera, expende Christi dignitatem, potentiam, sapientiam, altitudinem, ac maiestatem, in cuius manu cælum subsistit & terra, sine quo nulla quoque habet creatura perseuerantiam. Hic tamen tantus, illudi sibi permittit ab hominibus vilissimisq; nebulonibus. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Quæ? Euangelistæ non scripserunt. Sed vide ne eiusmodi aded sint verecunda, vt euangelistæ quoq; scribere erubuerint. Dicit enim Hieronymus, nunquam plene omnia manifestari, quæ hac nocte passus est Christus, præterquàm in extremo iudicio, verisimile est enim, multo plura Christum atq; fortasse verecundiora passum, quam ea quæ scripta sunt, cuiusmodi prophetæ nonnulla insinuauerunt, vt est, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas velentibus.* Vnde quidam eliciunt, genas Christi ex perulantissima Iudæorum vesania vnguib; lateratas & vellicatas, barbam quoq; extractam seu eutilfam, capillos extractos, &c. Quid enim non facerent vasa iniquitatis? Alij ex sua malicia, alij vt Iudæorum optimatibus placerent.

Cæcitas Iudæorum  
quanta  
Ipsalm: 73.  
Ibidem.

Exod. 34.

Patientia  
Christi mirabilis.

Hieronym.

Esaia 50.

*Oculos Dei mysticè velantes qui sint.*

**C**ateamus ne Dei inueniamur velasse oculos. Qui sunt, inquit, qui velant? Qui absq; verecundia delinquant. Sunt enim qui amiserunt Dei timorem, qui Dei reuerentiam abiecerunt, quibus deniq; & apud homines *frons facta est meretricis*, vt nesciant erubescere. Hi cum sint impudentes

Hier. 3.  
dentēs